

§. 972.

Deus ius habet ad actiones suas rectissimas, §. 901, 971. In iis est decretum de mundo et singulis eius creaturis, §. 934. Ergo deus plenus mundi et omnium in eodem creaturarum dominus est. Ergo in spiritus huius mundi plenam potestatem habet, §. 971.

§. 973.

Qui plenam in spiritum potestatem habet, ius habet ipsum obligandi, quomocumque placuerit. Qui ius habet spiritum aliquem obligandi, quomocumque placuerit, habet ius illi leges ferendi. Auctor enim obligationis, quam lex enunciat, **LEGEM FERRE** * dicitur. Ius leges ferendi habens, **LEGISLATOR** ** est. Ergo deus omnium spirituum huius mundi legislator est, §. 971, 972.

* Gesetze geben. ** der Gesetzgeber.

§. 974.

Qui solus in plures spiritus summam potentiam et potestatem habet, est eorum **MONARCHA**, qui plenam, est eorum **DESPOTES**. Iam deus solus in omnes spiritus creatos summam potentiam, §. 832. et potestatem, eamque plenam habet, §. 971. Ergo summa ipsius est et maxima monarchia despo.